



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

1. Christus invitans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

sine omni defectu, sine ullo fastidio, sine fine; nata-
bis quasi liquidissimis immensus voluptatibus. Et tamen,
aspice manus tuas ad opus languidissimas; inquire pe-
des tuos ad templum lentissimos; inspicere cor tuum in-
vidiā rabidum; irā & vindictā æstuans; spurcis cogita-
tionibus verminans; socordia & impatienā ignavum.
Siccine Deo servis pro celo, pro immortalī vitā, pro æ-
ternā beatitudine? quin facis quod Jacob, & promissam
tibi Rachelem aspicias, cum suscepti laboris ædium ob-
reperit. Quotiescunque igitur egerit tibi est, & vel adversa
premunt, vel prospera seducunt; vel labores oneri sunt,
oculos celo attolle, & te ipsum sic solare: En, illa tua Ra-
chel est, formosa nimis & decora! tota pulchra est, nec
macula in eā ulla est. En cælum, in doctum quietis &
voluptatis æternæ sustine nunc paululum non summos
dolores, non maximos labores, & brevi illic eris, tantū
tunc lætior & beatior, quanto nunc tristior & afflictior,
tunc quies illa tibi erit jucundior, quā nunc vita fuit o-
perosior. Ergo & AGE fortiter, & PATERE constanter;
digna est his omnibus beata AETERNITAS. Sis sic, mi
Christiane, te ipsum sæpius animares; si talibus oculis
cælum frequentius suspiceres, hoc affectu Aeternitatem
quotidie cogitares, crede mihi, pauci tibi servitutis dies
viderentur *pro amoris in AETERNITATE hanc magnitu-
dine*: laborem omnem tibi facilem diceres, molestias om-
nes gratiam computares, adversa omnia inter lucra
numerares. Vitam præsentem hoc quisque sanctius in-
stuit, quod attentius futuram Aeternitatem expendit.

CONSIDERATIO VII.

Quomodo Christiani pingant Aeternitatem.

Per tenebrosam domū pedetentim incedendum
est, parietesque palpandi si humanus intellectus
in æternitatem sese velit immittere; iter reperiet te-
nebris & caligine obseptum, nec unquam in hac vitā
penetrandum, via quidem ad eam brevis est, sed exitus
interminabilis. Et quamvis nemo hominum Aeternita-
tem sic animo conceperit, ut, quid ipsa sit, liquidō
possit dicere, ejus tamen immensitatem similitudinibus
& picturis, quasi quibusdam umbrarum lineis li-
cet proponere. Umbra prorsus est, & umbrarum um-
bra, quidquid vel scribitur, vel pingitur de Aeternita-
te. Neque enim omnia tempora in unum coarctata,
ejus latitudinem exhaurient: non horæ, non dies, non
hebdomades, non menses, non anni; non lustra, non
olympiades, non Indictiones, non Iubilæa, non sæcu-
la, non anni Platonici, & tardissimi octavæ spheræ
motus. Et si hac perquemvis numerum numerantem,
millenarium aut millionem multiplicentur, aut cui-
cunque numero numerato comparentur, ut stellis cæ-
li, arenulis Oceani, herbulis terræ, fluviorum guttu-
lis Aeternitatis tamen numerus non indagabitur.

Nauta bo-
lide maris
profundi-
tatem ex-
plorant.
Imago à
Christianis
proposita
ad expen-
dendum
profundum
æternitatis.

Nauta demissa bolide, maris profunditatem explo-
rant; nos item submissa & reverenti cogitatione, impe-
netrabile profundum Aeternitatis tentemus, & quo id
melius expendamus, hæc à Christianis proposita ima-
go juvabit. Ea sic habet:

Christus puerulus, quasi à præsepi & cunis pænè nu-
dus & investis, stat inter nubes, apram humeris suis
fert cruculam; nubibus unicum hoc verbum inscriptum
visitur, AETERNITAS. Infra Christi pedes in terrā hu-
mi sedet cadaver osseum, pilis & cute nudum, solā bar-
bā dignoscendum, lævā membranam tenet, in quā
perscriptum, MOMENTANEVM QVOD DELECTAT;
dextrā pomum extollit. Juxta corvus est, rostro co-
chleam admordens, sua illi vox adscripta: C R A S,
C R A S. E terrā hiantē flamma sese in altum emergit,
in quā voces illæ descriptæ: AETERNVM QVOD CRV-
CIAT. Christum ex æthere prodeuntem, flexis geni-

A bus adorant è dispari sexu gemini homines, loco om-
nium hominum: pone hos fluens clepsydra, & aper-
tus geminā facie liber est: alterā pagellā scriptum: *Da-
clm in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*
Alterā verò: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
Juxta stant caelestes genii & cernentium oculos manu
regunt, eosque ad divinum puerum erigere jubent, hæc
pictura est, sensus illius iste.

I. Christus invitans.

Christus æterni Dei æternus filius, non aliā quā
nos esse; hoc est, nudus in hunc orbem ingres-
sus est. Vestem immortalitatis & innocentiae per ino-
bedientiam nos amisimus. Nunc omnes heu quā ma-
lè vestiti, in hanc lucem prodimus? Christus nobiscum,
imò pro nobis luit, quod non deliquit. Sed quid, crux
in humeris divinis hujus puelluli? lectulus est, in
quo in mortem obdormivit, pro cubiculo Golgotha,
pro cervicali spinæ, pro toro crux fuit. Multi è sanctis
hoc exemplo ducti, ultro per annos aliquot voluerunt
incommodè cubare, & malè parcissimèque dormire,
modò læt ad diem æternum surgerent. Certè D. Bo-
nonius abbas, pro culcitra plumæ terram, pro lodice
cilicium, pro cervicali saxum habuit. S. Lupus Episcopus,
viginti annis, S. Edmundus Archiepiscopus trigi-
nta annis, extra omnem lectum dormierunt. Tese-
bo Nicolaos, Basilios Udalricos, aliosque quā pluri-
mos, quibus operæ pretium visum non est, talibus de-
liciosis somnum pauperum annorum fovere. Alia illis
quies & longior in mente fuit: ideo nec ad satietatem,
nec ad delectationem, extra cælum quiescere placuit.
Quot feminis etiam idem animus fuit? S. Clara pro
pulvillo ligneum trunculum capiti subiecit. S. Heldwi-
gis culcitram stramentitiam non nisi pro deliciis admi-
sit. S. Birgitta ab obitu mariti, triginta annis & cil-
cium assidue gestavit, & nunquam nisi humi dormi-
vit. Omitto alias.

Lectulus
Christi.
Crux, cubi-
culi, Gol-
gotha, cer-
vical, spina.

Et quid veteres narramus? quot hodieque viri reli-
giosi, semese stramini libenter & suaviter indomniunt,
nec plumas petunt cum beatam Aeternitatem sperent,
quā quotidie cogitant. Sed ad Christum redeamus, Christus
mortem is oppetiit, eamque & acerbissimam & igno-
miniosissimam, sed ut mortem æternam à nobis arce-
ret. Omnes quidem morimur, sed mors hæc brevissi-
ma est. Lætu oculi, momento à corpore divellitur ani-
ma, & totum hoc factum est, quod MORI vocamus. Non ita
res agitur apud Inferos. Tormenta illa omnes
mortis angores & dolores longissimè superant, non tan-
tū quia multò graviora, sed quia incomparabiliter
diuturniora, cū sint æterna. Itaque illic ista pati, est
tūc mori. Et ab hac perpetuā morte liberavit nos puer
ille, qui in nubibus pictus progreditur. Sub pedibus di-
vini hujus pueruli exsuum cadaver sedet, quod primi o-
mnium parentis esse, pluribus indicis sciri potest. Au-
dite nunc posteri, & feri nepotes Adami, parentem ve-
strum vos sic affantem?

Christus
ut mortem
æternam à
nobis arce-
ret, mortē
oppetiit
ignomi-
niosissimā.

II. Adam lamentans.

O filii, felices futuri, si parens vester scivisset fe-
licitate uti: nunc verò miseri hoc ipso, quod mei
filii, ego vos necavi prius quā genui, propter me an-
tè damnati estis, quā nati; Deus esse volui, vix homo
mansi: omnes in me petiistis, antequam perire possentis:
ita nescio, patrem me appelleris an patricidam & tyran-
num; vitiosos vos esse quid miror, aut conqueror? à me
tales esse didicistis: inobedientes vos esse doleo, sed ta-
men esse docui, ipse Deo inobediens: intemperantes &
gulosos vos averfantur superi; ah, paternum hoc est
vitium: superbia vestra exosos vos Deo facit; ego pri-
mus vestrum, ab hoc monstro triumphatus cecidi,
factaque est superbia à me victo superbiior: hoc à me